



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historia Sanctorum Joachim Et Annæ Geneseos, Vitæ, Transitus Et Connexorum

**Polius, Jacobus**

**Herbipoli, 1652**

3. Ob quas personas hæc genesis adornata sit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43946**

landus quoque S. Spiritus unus cum Patre & Filio individuus Deus, qui à Sanctis Joachim & Annâ, sterilitatis removit obstaculum, intemeratæ filia virginis uterum suo complens spiramine, usus potestate Creatoris, benedictum fructum **JESUM** super sedem David posuit. Tu demum Regina Cælorum, materque **JESU** & virgo sacra dignare me laudare te, atque isto in ordine eundem spiritum sanctum, qui pectusculum tuum superveniens, sacrosanctæ Trinitati consecravit, pro nobis exora, ut mentem nostram collustret in hoc argumento, omniaque parentibus tuis digna commonstret, quo eorum laus in te resultet integrior.

2. Alii, inquit S. Hieronymus, offerunt in templo Domini aurum, argentum, pelles hyacinthinas: alii piles caprarum & falsâ molâ litant, ut in proverbio est, qui thura non habent; atque interim non tam qui potum vini aut aquæ liquorem admotâ operâ calefactæ, quam etiam ipsa veritate attestante, <sup>d</sup> qui calicem aquæ frigidæ Christi discipulo offert, mercede donabitur. Perplacuerunt quoque pauperulæ viduæ æra minuta duo: is itaque cæptis aspirabit, cujus causa præsens quantulacunque opella adornatur.

<sup>d</sup> Matth. 10.

*Ob quas personas hæc genesis  
adornata sit §. 3.*

**E**gredimini filia Sion & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.<sup>2</sup>

B 4

sua.<sup>2</sup>

¶

*Pars I. Historia*

*Sua.* <sup>a</sup> Verus noster Salomon & Rex pacificus in summitate arboris genealogicæ constituitur. Infra ipsum constituuntur virgo Mater Maria & parentes ejus. *Ioachim & Anna* parentum erant nomina<sup>b</sup> de quorum progenitoribus <sup>c</sup>agemus in tempore. Liquet quod Pater in generatione pars sit potior. Accedit vetustus hymnus: *Lucis hujus festa de S. Anna versum hunc exhibens: Ex hac carnis plantâ surgit virgo sancta, ex hoc fluvio fonte lapis cæsus monte.* Jodocus Chlichtoveus Parisiis SS. Theol. Doctor & Professor in Elucidario Ecclesiastico anno 1515. condito memorati versus explanationem dilucidam reddit hujusmodi: *Quoniam ex B. Anna nata est Deipara virgo Maria, & ex hac natus est Dominus noster Iesus Christus: Consequens est ipsum & ex S. Anna sumpsisse originem secundum carnem, quod hic etiam versus recte astruit.* O igitur animæ electæ jam nunc egredimini, & videte Regem Salomonem. Obstupescant cæli, & terra lætetur, ob miraculum omnium miraculorum: Filius Dei Christus Iesus in cælis habet Patrem, matrem in terra. Ad quæ respicit S. Bernardus dicens: <sup>d</sup> *Calum ex patre, Nazareth ex matre vendicat sibi.*

2. Domus à vestibulo censeri solet<sup>e</sup>, & nostra arbor genealogica primo contuitu oculos animæ intellectuales pascit, recreat, & mirificè inflammat. In eâ insigniter elucet, quod non sint  
viæ

<sup>a</sup> Cant. 3. <sup>b</sup> Nicephorus lib. 1. c. 7. <sup>c</sup> infra §. 7. <sup>d</sup> Bern. serm. 3. de Annuntiat. <sup>e</sup> Ambros. lib. 2. de virg.

viæ Dei, sicut viæ hominum. Mortalibus solemne est, dum oculis corporeis objiciendam efformant arborem genealogicam quantumvis viridem, floridâ & omnigenis comptulam pigmentis, quod tamen sive in arboris cacumine, sive in ramis collateralibus, dum expirat ulterior carnalis propagatio, arboris extremitates hujusmodi tristiori spectaculo pingantur aridæ, juxta illud: *Generatio advenit, generatio præterit.* Arbor autem nostra longè aliter designata conspicitur, admirando Spiritus sancti consilio dicentis: *Exurget virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Cacumen itaque Jesseæ arboris, non in trunco arido, sed in flore JESU Nazareno terminatur. Nazareus idem est quod floridus. Sed forte ex cacumine viridanti & flore exigis propaginem? Contemplare filias Sion animas electorum, cui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Genealogia itaque præsens terminatur in JESU filio Mariæ, cujus parentes fuerunt Joachim & Anna, quam rem terrigenis, cælitibusque mirandam Jodocus Beiselius Patricius Aquensis in suo de S. ANNA Rosario sic decantat:

*Anna tuum tecuit tanta expectatio partum,  
 Hand facile est matrem matris habere Dei.  
 Anna tua sobolis laudes super astra volabunt,  
 Te quoque felicem secula cuncta ferent.*

f Eccli. 1. c.

g Esaiæ 11. c.

B §

ELLE